

Exinde per Papiam ac Mantuam et Ferrariam venit Florenciam, ubi partim delectatus urbis amenitate, partim necessitate coactus – patrimonium ecclesie per tyrannos erat occupatum – aliquamdiu mansit. Ibi ad eum Iohannes, ut supra retulimus, venit et Braccius tyrannus, qui Perusium occupaverat. Sed illum in cardinalem assumpsit; cum isto non potuit, ut voluerat et par fuerat, convenire. Tres tunc tyranni ex vili natione viribus armorum elevati patrimonium ecclesie inter se partiti erant: Braccius, Sforcia et Tartalia. Martinus Sforciam sibi conciliavit ac ecclesie capitaneum fecit. Cuius favore Romam reperiit viamque tutam peregrinantibus prebuit. Post Tartaliam a Braccio divisit et ad stipendia condixit. Quem demum, sibi sive quod parum fidelem reppererat sive quod male suspicatus est in eo, securi percute iussit. Braccium quoque obsidentem Aquilam et ad Urbem venire minitantem³⁰ per suos duces invasit, confligit, cepit et vulnere mortuum in campis tamquam excommunicatum sepeliri mandavit. Tantaque huius felicitas fuit, ut, qui rediens in Italia nullum oppidulum in potestate habebat, occiso Braccio totum patrimonium recuperarit. Huic Philippus dux Mediolani Forum Lunii atque Imolam, quas urbes armorum potencia ex manibus tyrannorum receperat, cum essent ecclesie, ultro restituit. Hic basilicas beatorum Petri et Pauli ruinam minantes admodum reparavit, pontem super Tyberin restruct, Urbem quampluribus edificiis adornavit pacisque arbiter inter omnes Italie principes communitatesque fuit. Concilium ex Papia, cum pestis ibi cepisset, in Senas transtulit, quod tamen nec ibi passus est perfici, sed variis artibus dissolvi et aliud in septennium apud Basileam urbem Germanie indici³¹ procuravit. Quod cum iam instaret, Iuliano sancti Angeli cardinali, quem contra Hussitas legatum destinaverat, facultatem in concilio presidendi commisit. Huius felicitatem adumbravit circa finem vite Bononiensium rebellio, quam nulla sibi potuit vi armorum subigere. Sedit in pontificio annis circiter XIII. Intravit mirifice, rexit utiliter, obiit sancte.

Gabriel Condulmario, qui nunc Eugenius papa quartus appellatur, natione Venetus est. Cuius maiores ex Neapoli³² fuisse dicuntur. Hic parentibus conditis, cum esset admodum dives, adhuc adolescens Christi vocem secutus omnia, que habebat, distraxit ac pauperibus dedit tolle<n>sque *crucem suam* (Marc. 8,34 ; Matth. 16,24 ; Luc. 9,23) cum Anthonio Condulmario³³ religionem ingressus est diuque panem mendicavit, donec Angelus Corario, de quo supra retulimus, qui papa Gregorius dictus est, Anthonium nepotem suum ad Romanam Curiam evocavit. Nam cum Anthonius absque socio religionem nollet relinquere – plurimum enim se ambo invicem obligabant, aliter diligebant –, uterque vocatus est, et Anthonius ecclesie Bononiensi prefectus, Gabriel vero in Senensem episcopum est ordinatus. Simili quoque fortuna et ad cardinalatum ambo profecti sunt. Tantaque inter eos animorum concordia

30) munitatem *Hs.*

31) induci *Hs.*

32) Neopoli *Hs.*

33) Condelmario (?) mit Kürzungsstrich *Hs.*